

NUMMUS CASTRENSIS

FERDINANDI GONZAGÆ PRO-

Regis Siciliæ, Cæsarianorum militum Præfecti : Cusus
post expeditionem in Albaniam susceptam &
Castrum novum expugnatum.

Anno Christi 1538.



Hoc namque Anno Cæsar, Pontifex, ac Veneti, divisa inter se
Græcia, contra Solymannum, Italiæ minitantem, bellū de-
cernunt : promittente Cæsare octoginta duas triremes : to-
tidem Venetis : Pontifice, triginta sex, quibus Cæsar atque
Genuenses onerarias convehendo commeatui, pedestri-
busque copiis, addebant, Ferdinando Gonzaga, Siciliæ Pro-
regeiis præfecto : universæ vero confœderatorum classi Andreas Auriæ Cæ-
saris nomine erat imperaturus : Pontificiæ Marcus Grimannus, ac Paulus
Justinianus : Venetæ, Vincentius Capella. Sed tantæ in unum contractæ vi-
res, quanquam contra prodiisset Solymanni Præfectus Hariadenus Barba-
rossa, nil dignum memoriâ gessere, Auriâ pugnam vastro artificio detrectan-
te, ac paulo post Turcarum classe ingenti tempestate foedè dissiectâ. Gonza-
ga cum nil laude dignum gestum esse, insuper etiam sua consilia non ab Au-
ria solum, verum etiam à Venetis (teste Jovio) contemni videret : indigni-
tate rei commotus, assumptis secum duodecim Veteranorum Hispanorum
militum millibus, Albanæ littora infestans, maximâ celeritate castrum no-
vum ad Ægeum mare adortus terrâ marique obsidet : & virtute militum
duobus Præfectis Buccanigrâ & Cæsare Josiâ Firmano amissis, subito expu-
gnat. Triduo post etiam Castello Novo, arce loci naturam munitissimâ, dedi-
tione per præsidarios factâ, potitur. *Aquila volucrum omnium generosissima is
ipse Gonzaga est. Illa ad arcem, in jugo montis sitam, cursum dirigit : non vel maris la-
titudine, vel montium altitudine territa : certa vel ad metâ pervenire, vel mori.
Hic memoriâ partag, fama dignum aliquid moliri statuit. & vel arcem expugnare :
vel, quod generosi animi, veræq, fortitudinis ac constantiæ est signum, præ-
claris in conatibus fortiter succumbere.* Pont. Heuterus.

Jacob. Schrenck à Notzing.

Author.